

sim Corollarium, seu porisma, denique est, quod protenus ex facta demonstratione tanquam lucrum aliquod additum, seu confectarium accipitur; ut videre est lib. 2. prop. 4. & passim.

Cum omnis autem doctrina, omnisque disciplina ex præexistente cognitione gignatur, atque ex assumptis, & concessis quibusdam principijs suas demonstrat conclusiones: Nulla autem scientia, teste Aristotele, sua principia demonstret; habebunt & Mathematicæ disciplinæ sua principia, ex quibus politis, & concessis sua Problemata, & Theoremata confirmant. Horum autem tria solum genera apud Mathematicos reperiuntur. Quorum primum genus continet definitiones, quas nonnulli Hypotheses appellant, ut punctum est, cuius pars nulla est. Secundum genus complectitur petitiones, seu postulata, quæ per se adeo perspicua sunt, ut nulla confirmatione indigeant, sed auditoris duntaxat assensum exposcant, ut postuletur, ut à quouis puncto in quoduis punctum, rectam lineam ducere concedatur. Tertium denique genus comprehendit. Axiomata, seu communes animi notiones, quæ non solum in scientia propositæ, sed etiam in alijs omnibus usque adeo evidentes sunt, ut ab eis nulla ratione dissentire queat is, qui ipsa vocabula rectè perceperit, ut: